

lactis puri, & infantibus alendis apti; v. 2. Nunc autem a suavitate aut dulcedine, quam homini converso atque animæ ejus intimæ præbeat, commendat, atque ad ipsorum, ad quos scribit, consensum aut testimonium provocat: qui, si lac Evangelii hætenus, ita ut par erat, sumserint, aut imbiberint; utique hoc ipso gustaverint aut experti fuerint, quam savis sit Dominus: cum Dominus ipse se, ut suavem, per Evangelii prædicationem spiritualiter gustandum aut fruendum exhibeat. Quo referre possumus, quod *G. Keithus* ipse fatetur, pag. 12. *salutarem fidem & cognitionem spiritualis regni Christi in cordibus sanctorum; electionis sanctorum in Christo ante jacta mundi hujus fundamenta, vocationis, justificationis & per regenerationem spiritualem, in Christo insertionis & insitionis &c. beneficio Scripturæ ingenerari & implantari.*

XXX. Circa locum *Matth. V, 8.* quo dicitur: *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; paucis monemus, verba generaliter seu indefinite esse posita: & quanquam hominibus, qui a sordibus peccatorum purificati fuerint, promittatur visio Dei; non tamen determinari, utrum visio illa sit talis, qua per speculum in ænigmate videtur? an qua videtur facie ad faciem? an denique visio utraque, quarum altera alteri succedat, intelligenda sit? Sane *Chrysoſtomus* ad h. l. scribit; *Dupliciter est videre Deum, & in hoc seculo & in illo. In hoc quidem seculo, secundum quod scriptum est, (Joh. XIV,) qui videt me, videt & Patrem. Qui ergo omnem justitiam facit & cogitat mente sua, Deum videt: quoniam justitia figura Dei est. Deus enim justitia est. --- In seculo autem illo, hoc modo mundi corde Deum videbunt, facie ad faciem, jam non per speculum in ænigmate, sicut hic. (1. Cor. XIII.) Theophylactus ita commentatur: Sicut speculum, si fuerit mundum, accipit imagines: ita & anima pura faciem Dei, & scripturarum scientiam suscipit. Rupertus Tuitiensis ad illustranda verba textus, *Danielem & socios ejus pro exemplo esse dicit, quorum studium cum fuerit, ut essent mundi corde, Deus illis dederit scientiam & disciplinam in omni verbo & sapientia, Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum. Inter cætera, quæ videt ille mundo corde, maximum & pulcherrimum esse,**

esse,